

sed tantum ne alter ab altero superetur, aut alter alteri sedat. His verbis animos Atheniensium ad fortiter agendum accendit: indeque mos obtinuit, ut quotannis certa die galli gallinacei in theatro committerentur in certamen, uti refert Elianus: multo adhuc magis animari debent nostri catholici, si cogitent se pugnare pro patria, religione, cælo.

IV. Exempla aliorum, gentilium imprimis Scipio Africanus rogatus a quodam, qua re fretus auderet exercitum e Sicilia in Africam contra Carthaginienses trajicere, demonstravit ei trecentos viros, addens: *Nullus horum est, qui non sit me jubente, conscensa hac turri, præcipitem se in mare dejecturus*, Plut. in apophth. Rom. Mutius Scævola, cum Porsenam Hetruscorum regem, urbem obsidione prementem in castris occidere tentasset, dexteraque aberrasset, scribam regium pro rege occidendo, pertæsus, manum foco injectam exuri passus est. Refert Valerius Max. l. III. c. III. Leonidas Persæ cuidam minitanti, quod Spartam die postero ex telorum imbre, solem non essent visuri: *In umbra igitur*, respondit, *commode pugnabimus*. Quidam e gregariis militibus Othonis imp. cum multi rogarent Cæsarem, ne deposito imperio exercitum ac rem publicam desereret, sublato ense dixit: *Scito, Cæsar, sic pro te omnes animatos esse, moxque seipsum jugulavit*, Sueton. in Othone. Quid de militibus Germanis dicam? Veteres certe Alexandro Magno nuntiabant intrepide, nihil aliud se timere, quam ne forte cælum in se ruat, Hieron. Ziegl. de viris illustribus serm. c. XII. Quin et recentiores, Germanos ab animi fortitudine commendari scimus. Nam Carolus V. imp. dicebat in comparando exercitu sumere se caput ab Italis, brachia et manus ab Hispanis, pectus a Germanis, ventrem et pedes a reliqua turba. Ad hæc considerandum est, quod multi etiam sancti milites fuerint: Sebastianus, Martinus, quadraginta martyres Cæsareenses, Basilides cum viginti sociis, S. Mauritius cum sua legione, etc.

V. Oratio quæ fit pro illis. Dum præliabatur Josue, orabat interim Moyses; sic dum pugnant milites, orant pro eis plebs et sacerdotes, nec immerito, quia sunt in magnis periculis, nec habent solita subsidia ab ecclesiasticis. Quamdiu Moyses levabat manus, tamdiu vincebat Josue; sin autem remisisset manus, vincebat Amalec; et hinc vult Origenes, hom. XIII. in Num. regem Balac comparasse Hebræum populum bovi herbas depascenti, quod nimirum ore, id est, oratione magis, quam armis depasceret et expugnaret gentes. Ita ergo par est credere victoriam reportaturos milites nostros, quando Ecclesia pro eis orat. Sane Judith cum ad perden-

dum Holofernem pergeret, nihil aliud petebat nisi suorum orationes: *Vos autem, inquit, nolo, ut scrutemini actum meum, et usque dum renuntietem vobis, nihil aliud fiat nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum*, Judith VIII. Hoc præsidio se jam tutam remque confectam esse sibi persuadebat. Nec nostri dubitent milites ad futurum sibi Dei auxilium, dum preces fundit Ecclesia. Forte igitur et imperterrito animo ad præliandum egrediantur contra Holofernem.

Cæterum robur et animositatem suam coram hoste solum ostendere debent, sicuti leo incedens recondit quasi in vaginam unguis suos, donec pugnae occasio se offerat. Eodem modo felis parci unguibus suis, donec se prodant mures capiendi. Ergo milites quoque gladii suos recondant modo in vaginam, nec exerant contra amicos; sed tum primum cum ad hostem venerint. Contineant etiam rapaces digitos, donec justam prædandi occasionem hostili in terra nacti fuerint; ne alioquin audiant illud Isa. XXXIII. dictum in Sennacherib, impium prædonem: *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis?* Dum enim ipsi alios deprædantur quos non debent, interim diabolus deprædatur illorum animas quod ab illis æque ac a nobis avertera velit Deus.

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA.

I. Testes esse boni debent et veraces. — II. Non timenda electio e mundo, sed a Deo et Ecclesia, et excommunicatio timenda. — III. Non excusat peccatum zelus vel intentio bona aut ignorantia. — IV. Hæretici deteriores in aliquo Judæis et gentilibus. — V. Cavenda humani sanguinis effusio. — VI. Christianis semper expectanda tribulationes.

## THEMA.

*Reminiscamini, quia ego dixi vobis*. Joann. XVI.

Apostolus Paulus ad Ephesios, cap. VI. verbum Dei gladio comparat: *Assumite gladium spiritus*, inquit, *quod est verbum Dei*. Solet autem unusquisque gladium sibi comparare, et opportuno tempore reservare, ad sui defensionem; tametsi forte multo tempore non sit eo usus. Simili etiam modo parandum et assumendum est Dei verbum; audiendum inquam in concionibus et memoriæ commendandum, ut opportuno tempore id rursus depromere ac reminisci, adeoque ad superandas tentationes adhibere possimus. Scimus et Davidem resumpsisse gladium quo Goliatho caput amputarat quemque inter sacra tabernaculi vasa asservandum dederat, ad se defendendum contra hostes suos, 1. Reg. XXI. Atque hoc est, mea sententia, quod

in hodierno evangelio suadet suis apostolis Christus. Cum enim longo sermone eos armasset, et quasi gladio accinxisset, ad superandas persecutio les eis impendentes, præcepit ut sermonem illum alta mente reponerent, velut aliquando futurum eis utilem ac necessarium ad sui defensionem. Hæc locutus sum vobis, inquit, *ut cum venerit hora, eorum reminiscamini*. Horum exemplo et nos, auditores, verbum Dei sedulo audiamus, et in memoria asservemus. Tametsi enim forte nunc hac hora nobis necessarium non est: erit tamen suo tempore cum occurret nobis tentatio aliqua vel similis necessitas. Ergo advertamus amicos.

I. Testes veritatis imprimis viri boni esse debent bonæque conscientia; videmus enim tales adhibitos esse a Christo, apostolos videlicet ut in hodierno evangelio; et alibi Joannem Baptistam, Simeonem, Annam, omnes tales qui sanctitate clarent. Impiorum testimonium, præsertim dæmonum, sanctitatem et divinitatem ejus attestantium, tametsi alioquin verissimum poluit admittere. Debent deinde certe esse de re quam testantur, quemadmodum apostoli conscientii erant omnium, quæ gessit et dixit Christus: unde ipse ait: *Et vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis*. Quæ duo nisi adsint testibus, nequaquam admittendi sunt, utpote de fallacia suspecti. Porro Deut. XIX. pœna talionis constituitur falso testi, ita ut pati debeat, quam alteri inferre pœnam molitus est. Jus canonicum eum facit infamem, ut deinceps ad eujusquam accusationem admittendus non sit, apud Gratianum, cap. III. quæst. V. ex Eusebio papa, ep. III. ad episcopos Tusciæ. Audiamus quid patres VIII. Synodi œcumenicæ, anno Domini 869. Constantinopoli habitæ, contra Leonem consulem, et Theodorum protospatharium, qui impulsu Photii et Michaelis imperatoris contra B. Ignatium patriarcham falsum dixerant testimonium, decreverint. «Definimus inquit, et promulgamus, hoc per septem annos epitimium (ita vocatur ecclesiastica pœna et censura) habere: esse illos duobus annis extra Ecclesiam, et aliis duobus intra Ecclesiam audire divinas Scripturas usque ad catechumenos; non tamen illo modo communicare, sed abstinere a carnibus et vino quatuor annis, præter dominicos dies et dominicas festivitates; et aliis tribus annis stare cum fidelibus, mereri divinam communionem in solis dominicis solemnitatibus cum elemosynis, orationibus atque jejuniis, ita ut tribus diebus hebdomadæ, secunda videlicet, quarta et sexta feria abstineant a carnibus et vino.

Gregorius Agrigentinus episcopus a Sabino Crescentio falso accusatus, coram Synodo

Romana centum et quinquaginta patrum, de stupro cum Eudocia puella, adductis nonaginta testibus psalmum alta voce ingeminavit: *Insurrexerunt in me testes iniqui; quæ ignorabant, objecerunt mihi: mala mihi pro bonis rependebant*. Statim igitur puella a dæmone correpta ad pedes eis concidit: Gregorius Satanam puella egredi, et verum fateri jussit, ac manu eam comprehensam erexit. Illa fassa est, se a Sabino et Crescentio muneribus corruptam Gregorium falso accusasse. Gregorius vero coram Synodo pro testibus et actoribus intercessit, et pacem illis impetravit. Quæ concessa, statim tenebræ magnæ obortæ sunt, et actorum alii utraque, alii altera gena nigri apparuerunt; Sabino vero et Crescentio labia atro colore infecta sunt, qui nunquam postea elui potuit, ita habet vita S. Gregorii Agrigent. quæ extat apud Surium 23. novem. Apud Indos etiam barbaros illos, falsis testibus extrahi digiti, quibus falsum testimonium scripto consignassent, decurtabantur, teste Strabone, l. XV. Et bene tres extremos digitos, quibus litteras exarare solemus, talibus Indi curtabant; quia uti inquit, Isidorus, l. III. de summo dono: *Testis falsidicus tribus personis est obnoxius: primo Deo, quem pejerando contemnit; consequenter judici, quem mentiendo fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio lædit*.

II. Non timendum viro bono, si a mundo ejectionem timenda vero ejectione a Deo et Ecclesia, adeoque excommunicatio ecclesiastica. Mundi ejectionem non timenda, quia si pro Christo fiat, ingentem gloriam adfert; parum vero aut nihil ejectione obesse, temporalia tantum auferre, Deum, gratiam et gloriam non potest. Quid erat magnum apostolis? Expelli de synagogis Judaicis, a quibus ipsi sese ultro separaturi erant. Pari modo justus quisque dudum odisse mundum cepit; unde ejus amicitiam uti non quærit, ita nec odium curat. Hinc David calumniam proditoris sui Doeg novaculæ comparavit, Psalm. LI. *Sicut novacula acuta fecisti dolum*. Ut enim novacula pilos homini abradit sine doloris sensu ita persecutio mundi fluxa tantum, et superflua bona terræque excrementa tollit homini justo, sine magno ejus dolore. Unde Augustin. in eum Psalm. «Ecce, inquit, quid faciunt sanctis tui? Capillos radunt. Nam capilli superflua rerum temporalium significant: illi, qui adherent eorum Deo, sic habent ista terrena tamquam capillos, quia sine sensu præciduntur, etc.» Apposite ad hanc sententiam Thomas Morus ab impio Henrico Angliæ rege ad mortem condemnatus, quod contra Romam fidem postulatis ejus subscribere nollet, ut alios ejusdem fidei assertores animaret, adversarios vero confunderet, his verbis ludens præmonuit carnificem: *Quandoquidem*



ita fert sententia: *Præcide caput, sed barbam cave, neque enim ut hanc quoque demetas, potestatem accepisti, capitis solius facta est mentio*, Chav. de not. fid. l. II. c. II. Voluit dicere imperterritus martyr, tam parum se aestimare capitis demptionem, atque si dematur ei barba, vel etiam minoris in tali laudabili necis causa.

Cæterum ejectio ab Ecclesia, quæ fit per excommunicationem, metuenda ac cavenda et quidem maximopere est, quia cum Ecclesia cæli claves habeat, excludere ab eo potest ac solet, præsertim cum quis eam contemnit, et absolutionem non petit. Præter hoc alia multa damna affert excommunicatio: privat administrationem et susceptionem sacramentorum, communibus Ecclesiæ suffragiis et precibus, communionem meritorum Ecclesiæ, auditiones missæ, conversationem cum hominibus; reddit eum infamem et inhabilem ad accusandum, testandum, judicandum; excludit a sepultura sacra. Memorabile est quod in annalibus Cisterciensium, de viris illustribus ejus ordinis narratur, fuisse anno 1440. abbatem in monasterio Corbeiensi, qui cum aureum quem amiserat anulum recuperare non posset, furem excommunicavit. Habebat autem corvum in conclavi cicurem, qui ab eo tempore viribus destituit et tabescere cepit plumasque amittere. Cumque causam ignoraretur: *Forte*, ait quidam *annulum furatus est, et excommunicationem sentit*. Itum est igitur ad nidum ejus et repertus annulus. Mirum dictum: corvus sibi restitutus, ubi fur anathemate solutus fuit, revaluit. Factum hoc a Deo, non quod excommunicatio vim in bruta habeat, sed ut inde discerent homines timere excommunicationem, *animæ supplicium*, uti vocat S. August. ep. LXXV. ad Aux.

III. Non excusat peccatum zelus bonus, nec intentio bona; nec quævis ignorantia. Idem enim aperte cernimus in hodierno evangelio, ubi Judæi dicuntur apostolos necaturi, et hoc facto existimaturi se obsequium præstitisse Deo. Habebant ergo zelum Dei, habebant intentionem bonam, nesciebant se offendere Deum. Interest quidem plurimum qua causa, fine et intentione aliquid fiat, et sumit inde actio bonitatem suam, sed si ea secundum se sit honesta, vel saltem indifferens. At si actio ex natura sua honesta sit, nullo bono fide, nulla intentione, nullo zelo aut bonæ causæ obtentu coonestari potest. Itaque tam abominabile, tam turpe est peccatum, ut nullis coloribus, nullis pigmentis, nullo vestium ornatu tegi ejus deformitas queat, quin displiceat Deo. Tam ponderosum plumbi talentum est, ut nullis machinis ex abyso sua attolli ad rationem boni queat. Quando Saul contra Dei mandatum retinuit Amalecitarum pecora,

non potuit eam inobedientiam ulla ratione excusare, tametsi dicebat, ad sacrificandum Deo fuisse servata, 1. Reg. XV. Si serpentem aut bufonem in aurea theca, vel eburnea inclusum videas, non ideo eum diliges, aut tamquam felix animal magni facies materiæ pretium; ita licet peccatum pulcherrime vestiatur, et ornatur zelo vel intentione bona, nihilo plus tamen meretur diligi aut a Deo approbari.

Sed neque ignorantia, quæ dicitur vincibilis, et de qua subjicit Dominus: *Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me*, excusare peccatum potest. Ea enim vel est crassa, de qua S. Bernardus, ep. LXXVII. ad Hugon. *Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi*. Vel affectata, cum directe volumus nescire, v. g. cum quis fugit conciones, aut doctos confessarios, ne reprehendatur et emendetur, etc. Noctuæ et ululæ lucem fugiunt, quia id a natura habent. At homo non ad tenebras, sed ad lucem, non ut ignoret, sed ut intelligat, rationis lumine præditus est. Unde reprehendi utique meretur, si ignorantia tenebras amet. Certe Judæi Christum ignorarunt, ut audivimus, et testatur etiam apostolus, 1. Cor. II. nihilominus tamen ob eam ignorantiam gravissime mulctati et exterminati sunt. Similiter gentiles Christianorum persecutores, affectatam habuere ignorantiam, quia audire noluerunt fideles Christum prædicantes, suam fidem defendentes, idololatriam confutantes; et tamen ipsi quoque acerrime plexi misere perierunt. Nero a senatu Romano ad infame supplicium condemnatus fugit, et in fuga, cum adverteret quæri se ab equitibus, vim sibi ipsi intulit: quem ægre morientem unus ex spadonibus ejus omnino confecit, Sueton. in Nerone: Galerius Maximianus feodo ulcere vermium multitudinem ebulliente periit pestifero in fœtore, Eusebius, lib. VIII. hist. cap. XVIII. Maximus interno viscerum ardore incensus et exustus, oculis quoque excidentibus hominis tantum simulacrum et spirans animæ sepulcrum effectus, protestatus est se Christo offenso penas dare, Euseb. l. IX. cap. X. hist. eccles. Valerianus a Sapore victus scabellum ascensuro in equum regi factus in ea servitute periit: Julianus cœlitus percussus Christo Galilæo palmam se cedere confessus est: ita et alii Christi persecutores misere extincti sunt, ut alibi vidimus.

IV. Non paulo deteriores sunt hæretici Judæis et gentilibus. Primo, quia Judæi et gentiles expulerunt quidem apostolos e synagogis et fanis, sed e suis, quæ longo tempore possederant, ad quodammodo præscripserant, patios sequendo ritus et deos. At hæretici expulerunt nos e nostris templis, monasteriis, urbibus, nationibus, quæ

a prima fidei promulgatione catholice semper religionis fuerunt usque ad illorum adventum. Judæi et Pagani pugnant pro religione tot jam sæculis recepta contra fidem novam, et nomine crucifixi introductam. Hæretici vero a fide illa per universum orbem jam recepta defecerunt, et novam sibi euderunt. Judæi et gentiles sua solum defendere contra apostolos volebant; at isti nos spoliare etiam nostris ausi sunt, ea inquam religione iisque bonis ecclesiasticis, in quorum possessione pacifica eramus a compluribus sæculis, imo a principio conversæ ad Christum Germaniæ. Sunt ergo ini qui aggressores, qui jure meritissimo impugnari, et cogi etiam armis ad restitutionem religionis et honorum ecclesiasticorum possent. Ad hæc ipsi veluti filii rebelles, impugnarunt propriam matrem Ecclesiam, in qua nati et educati sunt, adeoque rei sunt peccatorum quas Ecclesia statuit in rebelles et apostatas. Quod idem sentiendum de ipsorum posteris; ut enim Domino non mancipia solum, sed eorum etiam liberi censentur esse subjecti; ita non solum hæresiarchæ, Calvinus et Lutherus, sed etiam qui ex illis descendunt, per baptismum, Ecclesiæ subjecti sunt habendi. Si colonus sim et tu homo extraneus utaris bobus meis ad colendum agrum domini mei, commissum culturæ meæ; nec boves ideo tui erunt, nec fructus quos fert ager; sed mei potius erunt; ita in Ecclesia potestate sunt quicumque a prædicantibus hæreticis baptizati, quia nostro in agro nati, nostro baptismo renati quem usurparunt prædicantes. Deinde Judæi ejecisse dicuntur apostol. et synag. tantum non item ex uribus et patria. At hæretici quam plurimis in locis ejiciunt catholicos ex uribus et municipiis suis; ut patet in plerisque urbibus imperialibus et ditionibus principum acatholicorum. Quod attinet ad gentiles, si non armis, sed verbi Dei prædicatione, miraculis, virtutum exemplis conversi tandem sunt ad fidem; ac hæretici pertinaciores sunt, quia nec disputationibus et argumentis, nec miraculis, nec præclaris catholicorum virtutibus a proposito dimoveri possunt. Unde D. Hieronymus dixit: *Facilius est furori gentilium occurrere raptosque populos a bestiali scientia ad fidei pietatem prædicando convertere, quam hæreticum quemlibet suæ perfidia dogmatis confidentem, ad fidem rectam revocare*. Quid mirum ergo si Ecclesia tandem arma corripit ad extirpandos hæreticos et recuperanda sua?

V. Cavenda et horrenda humani sanguinis effusio, quia assuetudine paulatim vergit in crudelitatem et quodammodo in ludum. Ecce tibi Judæi, quos olim Deus voluit tam longe abesse

a sanguinis effusione, ut etiam sanguinem pecorum effundere eos jusserit, nequaquam comedendum, Gen. IX. ad extremum tamen adeo assueverunt homicidiis, ut qui prius sanguinem pecudum comedere religioni sibi ducebant, postea sanguinem prophetarum, Christi et apostolorum summa voluptate haurirent, adeo ut obsequium Deo se præstare existimarent. Quemadmodum enim laniones sua in laniena semper audaciores fiunt, ita, ut qui primo vix unam oviculam mactare audebant, postea ipso usu facti animosiores, boves obruncare pro ludo et delectatione habeant, ita accidit iis, qui non verentur homines vulnerare et occidere. Patuit hoc in multis etiam imperatoribus qui initio ab omni cæde abhorruerunt, postea assuetudine crudelissimi facti sunt, ubi Nero qui initio imperii cum subscribere deberet reorum suppliciiis: *Vellem nescire litteras*, aiebat, ne subscribere deberet: postea tam crudelis fuit, ut Christianorum carnificina pasceret oculos, et diceret: *Utinam me mortuo misceatur terra igni*. Similiter Domitianus et alii quidam, qui tandem crudelissimi evaserunt. His subjiciamus alia crudelitatis monstra. Volesus sub Augusto, Asiæ procons. cum 250. uno die securi percussisset, ut Seneca scribit, l. II. de ira, cap. V. incedens inter cadavera, superbo vultu quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset Græce proclamavit: *O rem regiam!* Talis Annibal, quem dixisset ferum, cum fossam humano sanguine plenam vidisset: *O formosum spectaculum!* Talis Aul. Vitellius, qui cum audisset campos, in quibus a suis legatis fuerat pugnatum contra Othonem, horrentes quosdam cadaverum tabem detestabili voce ausus est confirmare: *Optime olere occisum hostem, et magis civem*, ut scribit Suetonius, cap. X. Talis inter Christianos fuit Ezelinus barbaro potius, quam Italico solo dignus carnifex, qui duodecim millia civium Patavinorum ad unum omnes uno compulsos loco trucidari jussit, idem, lib. II. cap. III. Wenceslaus imperator et Bohemiæ rex ita sævus fuit, ut assiduum penes se haberet carnificem, quem compatrem appellabat, quia filium ejus de s. fonte levarat: *Eoque tam familiariter utebatur ut aliquoties uno eademque equo secum eum vehi passus fuerit*, inquit Dubravius, l. XXIII. Idem cum gulæ deditissimus esset, et aliquando prandium non ita uti jusserat, offendisset, jussit ministrum caponis instar affixum, ad ignem torreri. Quocirca jure tandem a proceribus regni captus, et ab electoribus imperio deturbatus est anno Domini 1400. Refert Æmilius, lib. X. Nihilominus actum cum aliis, quos recensui tyrannis; omnes pari moneta, qua alios solverunt, et ipsi soluti sunt, juxta verbum Domini, Ezech. XXV. *Interficiam interfes-*



res. Quare etiam magistratibus publicis, observandum censeo id, quod Alexandro Magno tradidit Aristoteles: *Parce effunde humanum sanguinem. quia hoc illius est, qui novit secreta cordium.*

VI. Christiani tribulationes semper expectandæ sunt, præsertim electis. Si enim hæc apostolos statim exceperunt, quamprimum illi Christum annuntiare cœperunt, nihilo meliora possumus expectare nos, si Deo servierimus: *Omnes enim qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*, ait apostolus, II. Timoth. III. quia cum quis a vita mundana et licentiore ad christianam modestam, religiosam se recipit, statim invenit derisores, calumniatores, persecutores. Unde Chrysostomus in eum locum: *Impossibile est, inquit, ut qui malis bellum indixerit pressuris careat.* Quia enim mundus a piis redarguitur, hinc talem eis mercedem solet mundus rependere, qualem dedit apostolis, postquam ab eis saluberrimè admonitus, et ad cœlestes nuptias invitatus est. Idque primis potissimum Christianis, qui persecutionis tempore vivebant, contigisse docent historiæ ecclesiasticæ Romæ, ad aquas Sylvias in loco qui dicitur: *Gutta jugiter manans*, extra portam trigeminam, septimo idus julii celebratur dies triumphalis decem millium ducentorum trium militum Christianorum, qui a Maximiano Herculeo coacti et adscripti fuerunt ad extruendas thermas Diocletiani per integrum septennium, finitoque opere, ne forte laborum onere sublevati aliquid in imperium molirentur, omnes pariter una cum Zenone tribuno, qui inter eos dignitate excellere videbatur eo loco necati sunt, Baron. an. 298. Quodque ad horum martyrum gloriam spectare videtur, extat adhuc Romæ ædificium istud et inhabitatur a Carthusianis, cum aliæ thermæ imo et palatia imperatorum omnium ita corruerint, ut vix vestigia appareant. Qualem ergo mercedem Christianis illis militibus dedere Diocletianus et Maximianus, talem vel saltem similem expectare a mundo debent, qui pie volunt vivere et mundo contradicere. Cæterum consolari eos debet, quod adjecit Dominus: *Venit hora, etc.* Momentanea enim et horaria est tyrannus impiorum in electos, præsertim si cum æterna eorum gloria comparetur, quod pulchre uno verbo *transitus* notavit Judith, c. VIII. cum ait: *Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.* Minus sentiunt pueri ictus pileorum, et palliorum cum per cohortem cursum transire ex ludi lege debent, quia sperant se cito evasuros et aciem perrupturos, idem cogitemus nos cum mundus nos calumniis, sannis, verberibus exepit. Cogitavit hoc S. Stephanus, qui intendens in cœlum cucurrit per *imbrem lapidum, et lapides torrentis dulces illi fuerunt,*

quia ex torrente fuerunt, brevi scilicet duratura persecutione. Ergo et nos, auditores, non timeamus per horam unam transire torrentem illum; sed intendamus in cœlum et illam æternitatem, etc.

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

- I. Unde procedit Spiritus sanctus? — II. Cur hic Christus tacet processionem Spiritus sancti a se? — III. Quomodo Spiritus sanctus et apostoli testimonium reddiderunt Cæcis? — IV. Quorsum Christo apostoli testes? — V. Cur prædicat apostolis persecutiones? — VI. Cur Judæi deinde gentiles persecuti sunt apostolos? — VII. Cur permittit Deus bonos affligi a malis?

## THEMA.

*Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini.* Joan. XVI.

Duo sunt in hodierno evangelio quæ promittit et prædicat Dominus discipulis suis ad speciem inter se admodum diversa, Spiritum sanctum et persecutiones. Quid enim Spiritui sancto cum persecutionibus; ille a Deo mittitur, hæ ab improbis hominibus plerumque immittuntur; ille consolatur, et gaudio replet animam, illæ desolatione et mœrore implent; ille roborat et vivificat, hæ vero frangunt et conficiunt. Verum si penitus rem inspicimus, nequaquam adversatur Spiritui sancto persecutio seu tribulatio, sed verius in diapason optime concordat. Etenim Spiritus sanctus homini immixtus testis est e cœlo hominem esse filium et amicum; tribulatio immixta testis est e terra idem prorsus afferens. De Spiritu s. ait apostolus, ad Rom. VIII. *Ipsè Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*: de tribulatione vero et persecutione ait ad Hebr. XII. *Quem diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri (Græce, spurii) et non filii estis.* Deinde, Spiritus sanctus velut ignis purgat et illustrat animam, ideo in specie ignis venit super apostolos: idem facit tribulatio, idcirco igni cœlitus misso comparatur a Jerem. Thren. I. *De excelso misit ignem in ossibus meis et erudit me.* Denique, Spiritus sanctus spirituali gaudio et solatio replet hominem ut diximus, idem facit tribulatio, præsertim quæ ex persecutione oritur, teste S. Jacobo, c. I. *Omne gaudium existimate cum in varias tentationes incideritis.* Duo ergo maxima bona promittit Christus in hodierno evangelio suis discipulis; unum e cœlo alterum e terra. Sed nunc videamus reliqua, quæ luce aliqua indigent.

I. Unde procedit Spiritus sanctus? Resp. primo,

a Patre simul et Filio. Definitum est hoc ab Ecclesia Latina, cum qua olim etiam convenit Ecclesia Græca, ut patet ex Synodo Florentina, in litteris s. unionis. Postea tamen Græci ab ea definitione defecerunt et a solo Patre Spiritum s. prodire docuerunt, non tam permoti ratione, quam odio Romanæ Ecclesiæ, cui subesse noluit patriarcha Constantinopolitanus, parem sibi vel majorem etiam auctoritatem et dignitatem arrogans, quam sit Romanæ sedis. Probatur vero sententia catholica. Primo, ex Scriptura et imprimis ex illis hodierni evangelii verbis: *Quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Postrema verba aperte dicunt procedere eum a Patre; priora vero convincunt procedere eum a Filio quoque. Si enim a Filio mittitur, a Filio etiam procedit et accipit naturam? Alioquin ab eo mitti non posset. Idcirco enim Pater neque a Filio neque a Spiritu sancto mitti dicitur, qui a neutro procedit; nec Filius a Spiritu s. quia ab eo non procedit. Dicitur quidem Isaia, c. LXI. Christus a Spiritu s. missus: sed hoc intelligendum est de Christo qua homo, non qua Deus est. Deinde, probatur rursus ex c. XVI. Joan. ubi ait Dominus: *Ille me clarificabit quia de meo accipiet, q. d. accipiet ex me naturam et essentiam divinam, quemadmodum et ex Patre, sed non filiationem meam.* Rursus, apostolo, c. IV. ad Gal. ubi Spiritus s. vocatur *Spiritus Fidei Dei*, eodem utique sensu, quo Matthæi X. vocatur *Spiritus Patris*.

Secundo, ex ratione theologica. Constat enim Filium procedere ab intellectu Patris, ideo ex vi processionis assimilari Patri, uti verbum mentis intelligenti, et hinc vocari genitum. Superest ergo ut Spiritus s. procedat a voluntate, qua se mutuo Pater et Filius infinite diligunt, adeoque per modum amoris seu impulsus Patris et Filii ad se invicem, unde ab utroque spirari et produci debet quasi amor reciprocos.

Tertio, ex Græcorum exterminio, quo post aliquot centenorum annorum pertinaciam tandem in manus Turcarum, qui Constantinopolim Græciæ metropolim feria secunda pentecostes, anno 1452. 29. maii, ceperunt: pridie vero ipso festo pentecostes ultimam irruptionem in urbem fecerunt, tradit isunt et velut vas figuli contracti ac dispersi. Voluit autem dubio procul Græcis insinuare, pertinacem illorum de Spiritu s. errorem causam esse cladis ipsis feriis pentecostes acceptæ.

II. Quare ergo Christus solum ait Spiritum s. procedere ex Patre? Cur non ait ex Patre et me? Resp. primo, quia satis expressit a se quoque procedere Spiritum s. cum præmisit: *Quem ego mittam vobis*, ut supra dixi. Deinde, Patrem

quidem solum nominat, eum de processionē loquitur, non ideo tamen se excludit. Frequenter est hoc in Scriptura, ut cum Matth. XVI. dicitur: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, etc.* numquid non et Filius et Spiritus s? et Joan. XV. *Ille (Spiritus s.) vos docebit omnia.* Numquid solus Spiritus s. docuit omnia discipulos, non item Pater et Filius? Rursus hoc ipso loco, cum ait Dominus: *Quem ego mittam vobis*, numquid solus ipse misit Spiritum s. et non etiam Pater?

Secundo, quia Pater est prima in Trinitate Persona, adeoque *principium sine principio*, ait S. Aug. I. I. contra Maxim. c. XIV. Pater virtutem spirandi a seipso habet, Filius vero non a seipso, sed a Patre sibi communicatam. Voluit ergo Christus principalem dignitatem Patri in hac spiratione tribuere.

Tertio, ne apostoli tunc in ministeriis divinis, præsertim Trinitatis, adhuc rudes, existimarent Spiritum sanctum minorem esse Filio, si expresse diceretur ab eo procedere. Poterat quidem hæc et alia plura docere tunc apostolos, sed nec erat tempus, ingruente jam passionis hora, nec ipsi omnia portare potuerant, mœstia occupati. Et propterea promisit illis Spiritum sanctum, qui hoc et alia necessaria eos unaque Ecclesiam docturus esset.

III. Qua ratione Spiritus sanctus et apostoli testimonium perhibuerunt de Christo? Resp. Spiritum sanctum ut motorem et impulsorem, apostolos vero ut instrumenta. Spiritus sanctus fuit instar venti implentis organum et fistulas; apostoli fuerunt instar fistularum: idem ergo testimonium tulerunt apostoli et Spiritus sanctus. Fuit autem id fere in his situm. Primo, in dono linguarum et miraculorum, quæ in nomine et virtute Christi perpetrarunt, obstupescere mundo. Secundo, in efficacia prædicationis, quæ præcipuas mundi regiones ad Christum converterunt; tunc apparuit, quanta vis inesset minimo sinapis grano et modico fermento evangelii, quo brevitotus mundus fermentatus fuit Tertio, in vitæ apostolicæ sanctitate, obstupuit enim mundus et ad Christi cultum atque amorem potenter attractus fuit, quando vidit apostolorum conversationem a sua longe diversam utpote honestam, quietam, nemini injuriam, charitate plenam aliisque virtutibus coruscantem. Unde I. Petr. IV. dicitur: *Admirantur (gentiles) non concurrentibus vobis in eandem luxuria confusionem, Græce, peregrinantur, q. d. peregrini et quasi in alio mundo sibi esse videntur, dum aspiciunt vitam vestram tam sanctam et innocentem, a barbara et belluina sua tam diversam.* Quarto, in promptitudine ferendi pro Christo quævis tormenta, in invicta ferendorum patientia cum ingenti